

sine febris, & munus suum obire potest, quod & *Heurnius* in *notis ad 6. aph. 38.* affirmat, *initio* inquit, *curabiles sunt*: cum solum propagant fibras suas: tamen non omnes, sed in quibus nulla reliqua in avulsione remanet fibra. *Verum* initio neglectus, periculosior & ferè incurabilis evadit, imò non tam necare statim, quàm cruciare ægros valet. Si verò ultimus gradus immineat, & non tantum partes molles, humorosas & spirituosas, sed & ipsa interiora afficiat, absolutè incurabilem esse, & si non per se, tamen ob innumera supervenientia symptomata accelerare mortem pronunciamus.

Non minus quoque ratione *causarum* variat; gravior enim esse solet ille, qui à causis internis, ab humoribus nempe acidis, austeris, salinis oritur; hi enim dolores, obstructions & plura alia inferunt. Facilius verò ille curatur, qui à causis externis, citra alios morbos irruit, & qui denique à medicamentis adhibitis remittit.

*Longitudinis & Brevitatis* signa si spectemus, illa etiam variant variis modis. Affectus hic est chronicus, contumax & rebellis, & non tantum per menses, sed per plures annos, imò per totam vitam nonnunquam durans, omnemque curam eludens, quale ergò ex his prognosticum sit faciendum, omnibus liquet, lentæ enim internectioni affectos tradit.

*Modus eventus* etiam considerandus venit. Etsi enim cancer pro incurabili morbo ferè habeatur, & plerumque lethalityatem inferat, nisi in tempore, quod tamen omnium rerum primum est, obviam eatur, & in primâ herbâ quasi suffocetur. Incurabilis tamen evadit & magis errore ægrorum, generosa præsidia non admittentium, maxime autem negligentia; admodum enim solenne est, medicum tunc vocare, quando summa necessitas tandem cogit. Optimè hanc in rem scribit *Forestus lib. XXVIII. Observ. XLIII.* Uterque, occultus scilicet & ulceratus, incurabilis est, quia abscindi non potest. Cum incipit, negligitur, quia magnam molestiam non adfert, quo tempore posset prohibe-